

395

Quid Tu? Dona Dices Patronæ oblata probasti,
Pollicitus *vigilem* mente, manu, ore fidem.
Quam satis explesti tenus hac, cum laude Mycenis
Perdus ac pernox *invigilando* tuis.
Sed quî facta fides nunc vacillare videtur;
Dum Paphiæ ingrederis *grata Roseta* Deæ?
Fortè novum veteri officio superaddere gaudes:
Et conjux geminæ conjugis esse cupis?
At, Spartæ quod vix hominum tricesimus uni
Par sit adornandæ, nescius esse nequis.
Cur igitur geminæ prægrandia molis anhelas
Pondera, frangaris quò gravitate rei?
Vera, nec ignoras, quòd sit sententia Mystæ:
Edere quem VIGILIS nomine Scripta juvat?
Unum quando probat fœdus socialis amoris,
VERIDICI MONTIS plura, vera negans.
Cur igitur thalamum gestis penetrare gemellum?
Eusebienné putas ausa probare tua?
Fallor? An est *animo* cum Pallade fœdus amoris:
Atq; Venus *carni* est associanda tuæ?
Sic, sic constat amor deamatae Palladi salvus:
Danda Tibi quamvis sit coamica Venus.
Gratis delenire Fori vis tædia Tædis:
Quas Cypris accendit perstudiosa Tori.
Hinc nullus dubitas MOLITORIS sumere partes:
Qui VIGIL Eunomies non nisi fidus eras.
Nempe *Moletrina* ad *scitum* constructa *Rosetum*
Indupedit Tibi opus Palladis atq; Dices:
Mentem - animi *Zephyro Paphio* dum mota faventem
Allicit: ut studeas ritè parare *molam*.
Gratulor, O MOLITOR! *molituram*, optoq; *farina*
Prodeat apta Foro, prodeat apta Choro!
Hoc modò servabis monitum: Sic esse *molendum*:
Ut simul *invigiles* Palladi, itemq; Dicæ.
De reliquo, *vita* atq; *Tori* dum vesceris AURA,
Adspiret cœptis *aura* secunda tuis:
Ut valeat semper florentis *gratia* sortis
Vel Prænestinas exsuperare *Rosas*!
En *mola*, quâ veni meritoq; lubensq; litatum!
Salsa sed est: quia non sunt mihi thuris opes!

*Sinceri amoris, debitiq; hono-
ris ergo scr.*

MARTINUS RICHTERUS,
Gymn. Con-Rect.

A 3

Ad